AUGUSTINUS. COLLECTIO CLAUSTRONEOBURGENSIS. IOHANNES BELETH
Klosterneuburg, 12. bis 13. Jh. Seite 91r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=365
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Item ieiunium est aliud rationabile aliud
irrationabile. Rationabile est quando cibum et
potum moderate sumimus ne natura debili
tetur. Unde apostolus. Rationabile est obsequium uestrum
non in comessationibus et ebrietatibus et cetera. Irrationabile
est. si quis uelit ieiunare per duos uel iii.
dies uel per totam ebdomadam. tale ieiunium
non approbat deus. Uult enim hominem ieiunare
ut cogatur uicius mori non cogatur natura dissol
ui. Unde prohibetur ieiunium quod quidam fatuunt
a cena domini usque ad pascha. Item ieiunium
aliud qualitatis. aliud quantitatis. aliud
numeri. aliud summe exactionis. aliud
alteritatis. aliud Zerophagie. Ieiunium qua
litatis est ut uoueat se aliquis ultius non
comesurum carnes. Ieiunium quantitatis est ut
si quis semper comedit ad pondus. nec plus
una die quam alia. Ieiunium numeri est.
Ut cum quidam tantum semel comedit in die. quidam
bis. Unde dicitur. Semel cum angelis. bis cum homi
nibus pluries cum brutis animalibus. Ieiunium sum
me exactionis est ut in his qui non comedunt
nisi radices et herbas. Ut iohannes baptista in de
serto. et maria egyptiaca in heremo. que cum
duobus panibus tantum iordanem transiuit. Ieiu
nium alteritatis est. Ut cum quis uno die
comedit et altero ieiunat. Ieiunium Zero
phagie est. Zerophagia dicitur sicca comestio.
a Zeron quod est siccum et phagin quod est come
dere. Unde psalmus in Zerolophabitancia. Sicca co
mestio est ut in fructibus pomis scilicet piris et
castaneis et consimilibus. Quidam appellant
siccam comestionem. legumina cruda uel
et cocta. si comedantur absque iure malaxto cum
cocleari. Item ieiunium aliud est uirtutis. ut
in scientiis. aliud necessitatis. Ut in mendicis. aliud
uanitatis siue simulationis. ut in hypocritis.
Aliud est carnis ne pinguescat. aliud mentis.
ne pinguescat caro luxuriis

Postquam de tribus specialiter dicto dicatis
diximus. subsequenter de personis illius
deo dicatis. officiis dicamus scilicet de eccle
siasticis. Ad cuius rei euidentiam scien
dum est quod tres leguntur famose secte gen
tilium. hebreorum. xpianorum. Prima est erroris.
Secunda uanitatis. tercia salutis. In prima nau
fragamur. in secunda a periculo eripimur. in tercia sal
uamur. Prima dicitur a secando quia secat. i. a deo
nos separat. tercia et secunda a sectando. Prima
cecat secunda illuminat. tercia penitus saluat
et liberat. Sed mos paganorum conuersus est in
ritum xpianorum. et hec est mutacio dextere
excelsi. xpianorum enim persone tam seculares quam
ecclesiastice sumpte sunt ab aliis duabus sectis.
hebrea scilicet et gentili. Sicut enim apud nos duo
sunt genera personarum scilicet laicales et populares. nam
laos populus interpretatur et ecclesiastice. sic et apud
gentiles et apud hebreos a quibus nostre habuerunt
inicium. apud gentiles seculares erant hec persone.
Monarcha scilicet imperator romanus. patricii qui
et senatores dicebantur ad quorum arbitrium de
uniuersis ordinabant reges. duces et
presides. prefecti. tribuni militum. tribuni plebis.
pretores. centuriones. decuriones. quaterniones. tri
muri. questores. ediles. aule ianitores. In ritu
templorum erant archiflamines. flamines.
sacerdotes. in utroque sexu. Namque apud gen
tiles sicuti modo apud nos erant et mulie
rum et uirorum relligiosi conuentus. Inter poetas
erant carminum iudices. comedi. tragedi.
historiographi. Apud hebreos quoque eadem erat
diuersitas personarum. Nam alie seculares. alie
cultui diuino in templo dicate. In templo
hee persone erant. Summus sacerdos et mi
nores sacerdotes. leuite. Nathinnei. luminum
emunctores. exorciste. lanitores. editui